

Idamaneus. est, *Aqua nigra*, uti Ptolomæus *IDVMANVM* dixit, quo etiam nigredinis significatio subest, *Ydu* enim nigrum Britannis sonat. E favillis tamen excitarunt Romani, ejus enim meminit multos post annos Antoninus. Saxonico tamen imperio vix memoratur, tantum Edwardum Ælfredi filium *Maldunam* Danica rabie convulsam instaurasse, castroque firmasse tradidit Marianus. Guilielmus Normannus Angliæ devictor, ut in ejus Commentario legitur, *Centum octoginta domos in hac habuit, quas Burgenſes tenuerunt, & octodecim mansuras vastatas*. Hodie vero populi opulentia & sua magnitudine inter primaria Effexiæ oppida merito censetur, *Burgusque de Maldon*, à Iurisperitis nostris nominatur, Statio satis commoda, incolis pro magnitudine satis frequens quæ una tantum est platea mille plus minus passus in longitudine protenta.

Ad Anſam. Colonia- rum terminus.

Sex mill. pass. intervallo à *CAMALODVNO* statuit Antoninus locum, quem *AD ANSAM* dixit. Suspiciatus sum hunc aliquem fuisse Coloniae Camaloduno terminum, qui *Anſæ* similitudinem referret. Legeram enim apud Siculum Flaccum, *Agri Colonis adjacentes variis terminis definiuntur, in limitibus constituti erant pro terminis res alie, atque alie, alibi Hermule, alibi ſeria, alibi spatula, alibi Rhombi, & alibi secundum Vitalem, & Arcadium, termini erant Lagenares, vel orculares, id est, lagena & orcula*. Cur igitur non & *Anſa* pro termino: cum *Ad Anſam*, non *Anſe* suo more dixerit Antoninus? Quanta religione hi termini olim positi fuerint, ex eodem Siculo Flacco paululum digrediens, adscribam, *Cum enim terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant, proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, unguento velaminibusque & coronis eos coronabant: in fossis autem quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata caesa, facibus ardentibus, in fossa coopertis sanguinem instillabant, eoque thura & fruges jactabant; favos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adiciebant, consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant quo firmiter starent*. Vbicunque autem loci hæc *AD ANSAM* fuerit, ad priorem sententiam de verbi notione me refero. Nimirum *Ad Anſam* vel terminale signum fuisse, vel stationem tantum, aut diverforium aliquod ad viam sub ejusmodi interſignio, idque ex distantia prope *Coggeshall*. Nec alia quam signa terminalia, vel diverforia erant, quæ eadem loquendi formula Romano sæculo, *Ad Columnam, Ad fines, Ad tres Tabernas, Ad Rotam, Ad septem fratres, Ad Aquilam minorem, Ad Herculem, &c.* nominabantur: & proinde hanc accuratius quærere nihil aliud esset quam ventos venari.

Ostrea.

Hinc reducta littora mare magno & amœnissimo sinu accipiunt, qui optimorum illorum ostreorum feracissimus, quæ nos *Walsleot* vocamus. Et ne littora nostra sua gloria fraudentur, hæc illa esse existimamus littora, quæ, ut habet Plinius, Romanis culinæ serviebant, cum Britannicis ostreis tertium à Cizicenis locum tribuat Mutianus his suis ipsius verbis: *Cizicena majora Lucrinis, suaviora Britannicis*. Verum nec illo tempore, nec postea, cum Sergius Orata Lucrina

nobilitaret, Britannica, ut inquit ille, *serviebant Romanis littora*; adeo ut primas Britannicis ostreis tribuisse videatur. Nec alia ab his ostrea esse putato, quæ *mira* Aufonius vocavit, in hoc ad Paulinum versiculo:

*Mira Caledonius nonnunquam detegit æstus.*

Sed de his & horum vivariis hoc in littore scribant illi qui palato docti culinarum censuram peragere norunt.

In hunc sinum præter alia, *Coln* fl. se immittit, qui in Boreali agri parte è diversis fontibus coalescens, allabatur *Hedningham* sive *Hengham*, vulgo *Heningham* elegans olim castrum, & Oxoniæ Comitum antiquam habitationem. Cui ad alteram ripam oppositus est *Sibble Heningham*, locus natalis (ut accepi) Ioannis *Hawkwood* (Itali *Aucubum* corrupte vocant) quem illi tantopere ob virtutem militarem suspexerunt, ut Senatus Florentinus propter insignia merita equestri statua, & tumuli honore, in eximia fortitudinis, fideique testimonium ornaverit. Res ejus gestas Itali pleno ore personant, & Paulus Iovius in Elogiis celebrat. Sat mihi sit Iulii Feroldi *Tetrastichon* adjicere,

*Hawkwood Anglorum decus, & decus addite genti*

*Italica, Italico præsidiumque solo.*

*Vt tumuli quondam Florentia, sic simulachri*

*Virtutem Iovius donat honore tuam.*

Hinc *Coln* fluvius per *Hawsted*, quæ fuit sedes familiæ *Bourgchierorum*, è qua Robertus *Bourgchier* fuit Angliæ Cancellarius tempore Edwardi Tertii, & ab eo honoratissima Comitum & Baronum effloruit propago; inde per *Earles Coln* à Comitum Oxoniæ sepultura sic dictam, ubi Albericus de *Vere* monasteriolum posuit, & religionem induit, *COLONIAM* (cujus meminit Antoninus, quam & aliam esse à Colonia Camaloduno facit) accedit. An à Colonia huc deducta, vel à Colno flumine nomen sit factum, Phœbus dixerit: à flumine malim ego, cum viderim oppidula plura illi imposta, *Colne* dici, ut *Earles Colne, Wakes Colne, Colne Engaine, Whites Colne*, à Dominis denominata. Hanc Britanni *Caer Colin*, Saxones *Colecearces*, nos *Colchester* vocamus. Urbs est elegans, frequens, & amœna, collis supercilio ab Occasu in Ortum porrecta, muris incincta, Ecclesiis quindecim exornata, præter amplum illud templum quod Divo Ioanni Eudo *Dapifer* Henrici primi consecravit, nunc in ædes privatas conversum. In media urbe castrum eminenti vetustate collapsurum, quod Edwardum Ælfredi filium excitasse scribunt historici, cum *Colcestriam* bellis deformatam repararet. Floruisse vero hanc urbem vel maxime Romanis temporibus infinita vis antiquorum nummorum quotidie eruta planissime docet: in nullos tamen Gallieno antiquiores incidimus, erant enim Tetricorum, Victorinorum, Posthumi, C. Carausii, Constantini, & qui subsequuti sunt, Imperatorum. Cives Fl. Iuliam Helenam Constantini magni matrem suam alumnam fuisse asserunt ex Cælo rege natam: & in memoriam crucis ab illa repertæ, crucem nodosam inter quatuor coronas interpositam publico in digmate gerunt. Vnde de illa, & hac urbe Nechamus noster, etsi Apolline minus favente,

*Efulsit*

Lib. 9. cap. 54.

Colonia.

1105.

Helena Constantini M. mater.